

Etura Martis dulcis, Tinctura Coralliorum vera: Omnia exquisitissimâ arte parata in sacrario Hermetico honorificentissimè memorati Domini D. Jobanni Michaëli Patroni & Praeceptoris mei, cui, quaecunq; horum pono, visa & experta refero universa, ac singula.

ANTIPYRETICA à proprietate agere credita universalibus debito modo & ordine praemissis, & coctione satis institutâ succedunt. Eorum, quæ intrinsecus usurpantur, multa non aliena sunt à ratione; ut spiritus febrifugus, flores & radices chamæmeli, pulvis castorei, succus calamenthæ viridis, succus verbenæ cum paucò vino, essentia rorismarini, haustus vini anthosati cum paucâ Theriacâ, pulvis fol. Betonicæ, specificum febrile è conchis margaritiferris, oculi cancri, hepar ranarum pulveris. & cum urina pueri haustum, Cor Leporis à Diomede Cornario priù expertum, approbatum à Monavio, Andrea Hildebrando, & hæctenus ab aliis in usum non vanum tractum.

EXTERNA. Cum *Lienis* deopillatio magnum restitutionis ab hac febre afferat momentum, efficacissima ad hunc finem obtinendum erunt *extrinseca* remedia **INUNCTIO** ex oleo amygdal. dulcium, & amar. chamæmelino, irino, aut **CATAPLASMA** ex decoct. meliloti, scenugræci, absinthii, anethi, cum farina hordei, orobi. Si Scirthus adsit, **UNGUENTUM** ex ammoniaco dissoluto in aceto sambucino, addito oleo de cappar. cum pingvedine anseris & paucâ cerâ. *Ventriculo* illinatur oleum Menthæ, mastichinum. *Epatis* oleum rosac. succus cichorii. *Pulsibus manuum* injectum **EMPLASTRUM** opinione & spe citius Quartanam tollere visum est, quale, quod Turcicum vocant, & *Amplissimus, Excellentissimus atq; Experientissimus Dn. D. Praeses* mihi gratiosissimè communicavit, **FERDINANDUM II.** Imperatorem diuturno hoc affectu liberavit: Nō absimili ratione agunt Vesicantia, de quibus supra dictum, & illud *Strobelbergeri ex quatuor Elementis*. **AMULETA** pleraq; superstitionis nituntur opinionibus. Interea recepto apud populum mori, & pravæ consuetudini aliquid tribuendum,